

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Dissertatio Inavgvralis Iridica De Indole Actionvm De Pavperie Et De Pastv

Rostochii: Literis Adlerianis, [1794]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn893671312>

Druck Freier  Zugang





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn893671312/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn893671312/phys_0001)

DFG

K. K. - I (12.)



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn893671312/phys_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn893671312/phys_0003)

DFG

Enucardus. de fons salutis. 3. In se salutis.
Braun de usufr. parent. in bon. liberor.
Brüning ad C. 2. C. de res. vend.

XII.

Bronkes. de Pomponio Acto.

Einert Comparatio legg. Romi et Greci

Eybe. de interpr. legale ad peccas causas

Feil. de jure ader. venditori remanente

Feyerlein de privil. dotis. sponsa. corona.

Fricke. an compensationi offert prescr.

Frisch. de herede infante.

Hannibaldi.

Hoffmann. Romana themis commercior. faultr.

Hombergk. de legg. Servii Tullii.

Junghans. de Iurej. calumnijs.

Koch. de predio urbano et rurico.

Kraus. de act. publiciana.

Le Grand. Obj. jurid.

Madijn. de serritate usus

Massblanc. ad L. 2. q. 2. 4. ad Rhod.

Martini. de act. de pauper. et de pastu.

Meister. de Viviano.

Mitzius. de on. sine Ictor. sui

Prägemann. de condit. jure

de conc. hypoth. Ramm.

Rau. de pecutius

de Sodal. arval. Reinhard.

de poena ab iusto. Richter.

etc. de letaliibus. Ritter.

de Novation. Sator.

de transact. Schubert.

etc. Schwope.

de p. tac. Seger.

de act. non dir. Senf.

Steger. honor. vell. sit.

Sturm. vult. is caus. fig.

Strycker. gallus. 1. de postu.

Tittel. de solitaria vulg. etc.


Vitrigre. divers. contra.

Werhof. de Novation.

Wolff. de honor. posse.

Woog. de hered. facror. pr. w.

Wunderlich. de re litig. non compensanda.



DISSE^TAT^O IN AVGVRALIS IVRIDICA
DE
INDOLE ACTIONVM DE PAUPERIE
ET DE PASTV *J17*
QVAM
CONSENSV INCL. ICTORVM ORDINIS
IN
ACADEMIA ROSTOCHIENS
PRAESIDE
I O. M A T T H I A M A R T I N I
CONSISTORII DVCALIS VICE DIRECTORE
PHILOS. ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE
HVIVSQVE PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO
FACVLTATIS IVRIDICAE SENIORE AC HODIE DECANO
PRO
RITE IMPETRANDIS SVMMIS IN VTROQVE IVRE
HONORIBVS
DIE XXVI SEPTEMBRIS A. S. 1794.
H. L. Q. C.
PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
PROPONIT
L V D O V I C V S H E N R I C V S B O R C H E R T
SVERINENSIS.

ROSTOCHII LITERIS ADLERIANIS.

§. I.

Magnus in eo reperitur consensus plurium legum tam antiquiorum, quam recentiorum, reparandum a domino esse damnum ab animali eius alicui illatum, siue domino pecudis hoc nomine aliquid imputari queat, siue minus. Ex oceano aequitatis, lege divina, ut cum Theodoro Marcilio loquar ¹⁾ gentes reliquae hos suos derivarunt rivulos. Romani, de quibus mihi in praesentiarum potissimum est sermo, ea, quae de pauperie quadrupedum apud illos fancita fuerunt, proxime a Graecis accepisse, atque axones Solonis in suos usus convertisse videntur. In legibus enim XII. Tabb. de pauperie quadrupedum plura quae dein in corpus iuris iustinianei migrarunt, fancita fuisse, Ulpianus est testis omni exceptione maior, qui si non ipsa verba legis veteris, certe tamen tenorem illius nobis exhibuit in L. 1. pr. D. si quadrup. paup. feciss. actio, inquit, *ex lege duodecim tabularum discedit, quae lex voluit, aut dari id, quod nocuit, id est animal, quod noxiam commisit, aut aestimationem noxae offerri.* Idem ICtus nos docet in L. 14. D. de praescr. verb. exstisit etiam inter leges XII. Tabb. caput speciale *de pastu pecoris*, quae vero in illo fancita fuerunt non explicat. Nec certiora nos docuit *Jac. Godofredus*, licet enim in quatuor fontibus iuris civilis aliquod caput harum legum exhibeat inscriptum, *de pastu pecoris, attamen nigrum nil, nisi paucissima*

1) in legis XII Tabl. collecta et interpretamento cap. 63. apud Everardum Ottonem thesauro iuris rom. tom. IV. p. m. 283.

ciffima haec verba continet: *qui pecu endo alieno impescit* — — ex quibus ne per coniecturam quidem facile quis consequi poterit, quid in illo fuerit propositum, praesertim quum quaenam verba illius legitima sint, ignoremus.

§. 2.

Mira hinc ea de re inter ICtos magni nominis exorta est dissensio. Jac. Godofredus ²⁾ putat, dictum caput legum XII Tabb. restrictum fuisse ad damna a domino pecora immittente data, quippe qui ex suo proprio delicto teneatur, et contra quem ideo tali casu actio de pastu pecoris locum inveniat; contra autem de pastu pecoris spontaneo ibidem nominatim sancitum aliquid non fuisse, sed hoc etiam appellatione pauperiei legem XII Tabb. comprehendisse. *Cuiacius* contra, et qui eum sequitur *Schultingius*, vero similius esse iudicant de utraque re, pauperie et pastu pecoris, in duodecim tabulis separatis cautum, et utramque actionem noxalem iudicatam fuisse. Posteriori huic sententiae eo lubentius subscribo, quum verba Julii Pauli lib. I. tit. XV. sentent. recept. ³⁾ si quadrupes pauperiem fecerit, *damnatumve dederit, quidve depastia sit, in dominum actio datur, ut aut damni cestimationem subeat, aut quadrupede cedat,* abinde hoc comprobare videantur. In eo utraque pars consentit, id quod in praesentiarum mihi sufficere potest, legem XII Tabb. imposuisse domino obligationem damni resarcendi a quadrupede dati, sive contra suam naturam, sive secundum illam hoc fecerit. Adoptavit haec principia

Justini-

2) l.c. probationibus et notis ad Tabulam VII. in thesauro Ottoniano tom. III. p. m. 116 et 175.

3) apud Schultingium in iurispr. antejustiniana pag. 252.

Justinianus, quae eo facilius per Germanium invaluerunt, quo magis eadem in oribus maiorum nostrorum consentanea erant.⁴⁾

§. 3.

Quae cum ita sint, non alienum erit a meo proposito, brevissimis inquirere in rationes, quibus legislatores commoti sunt, ad imponendum dominis pecorum hanc necessitatem. Ex una enim parte durum omnino videtur, damnum aliquem sentire ex re alterius, absque ulla spe consequendi indemnitatem: ex altera vero parte non minus iniquum esse iudicant, dominum obligari ad resarcendum damnum, quod alter casu aliquo fortuito, h. a. nulla interveniente sua culpa, sentit. Qui hanc obligationem domini pecoris in ipsa lege naturali fundatam esse contendunt, peracquum esse putant, quemlibet nec per se, nec per ea, quae habet in sua potestate, quaecunque sint illa, quidquam damni aliis dari. Sed infortunium magis quam iniquitatem aliquam subesse videtur, quoties alter absque ulla mea culpa, hinc casu aliquo fortuito danno afficitur. Porro dominus animalis, omni culpa carens non magis tenetur iure naturali, quam si, cuius res inanimata damnum dedit. Et *quis unquam dixerit*, sunt verba Schoepferi⁵⁾, *quod pater familias iure naturae maiorem curam adhibere debeat in custodienda bestia, quam in custodiendo filio vel infante?* Et tamen iura romana patrem hic non obligant, immo nullam damni restitutionem concedunt, si infans damnum derit. Omnino ergo dicta obligatio, alterum in tali casu indemnem servandi ex solo iure positivo deducenda erit. Neutquam vero legislator romanus hoc, quod suppeditavi, principium, ab antiquissimis

A 2 gentibus

4) Vid. Schilter in praxi iuris romani in foro germanico exerc. XIX.

5) diff. de pignorationibus cap. 1. th. 6.

gentibus olim iam stabilitum, pro lubitu ac sine gravissima ratione suum fecisse dicendus est: id quod ex mox dicendis uberior patebit.

§. 4.

In diversissima abeunt Doctores, qui genuinam rationem huius iuris constituti evolvere studuerunt. Actionem utramque de pauperie ac de pastu personales esse facile omnes largiuntur, contra de genere obligationis, quod easdem producit, acerrime contendunt inter se. Quia nullus hic subest contractus, nec nominari potest quasi contractus, ex quo illae oriantur, plurimi ad quasi delicta confugiunt, actionem de pauperie ex quasi delicto esse statuentes. Immo ne hi quidem, qui ex quasi delicto originem dictae actionis derivant, una eademque ratione rem explicant. Alii dominum ipsum quasi delinquere affirmant⁶⁾, quum per rem ipsius damnum sit alteri illatum, et bruta delictum committere nequeant: alii quasi delictum ad ipsas quadrupedes referunt, citra imputationem proprii quasi delicti. Utrumque mihi displicet. Prioris sententiae defensores naturam actionis de pauperie non satis attenderunt. Expressa enim lege constitutum est, hanc actionem contra dominum animalis institui debere, cuius nulla culpa intercedit; hac autem accedente, ex lege Aquilia cum eo esse agendum. Immo recte quoque monet Thoma⁷⁾, si ponas, teneri dominum pecupis tanquam ex proprio quasi delicto, is, qui tempore factae pauperiei dominus erat, iudicium suscipere cogetur, etiam si tempore institutae actionis dominus amplius non sit. At quia noxa caput separatur, planum est, hanc actionem adversus dominum non tanquam ex facto domini competere. Haud maioris momenti sunt,

quae

6) Vulcius in iurisprudentia romana lib. I. cap. 51.

7) tractatu de noxia animalium cap. 4. num. 12.

quae pro tuenda posteriori sententia proferri solent. Quadrupes ratione destituta nullo modo deliquisse, vel iniuriam fecisse dicenda est, quare etiam damnum ita datum nomine pauperiei insigniri solet. *Nec enim*, ait *Ulpianus L. I. §. 3.* si quadrup. pauper. feciss. dic. *poteſt animal iniuria fecisse*, quod sensu caret. *Thoma*, licet ipſi concedendum sit, animal delinqüere non posse, tamen l. c. eorum sententiae adſtipulatur, qui cauſam actionis de pauperie referunt inter delicta aliena, animalis ſcilicet. Ad evitandas neceſſario exinde oriundas difficultates addit, illum delicti vocabulo uſum eſſe in ſensu latiori, ut etiam comprehendat delictum in animalia cadens, ſeu delictum improprium; quod quare quaſi delictum dici non debeat, nihil cauſae ſubeffe putat. Sed, niſi omnia me fallunt, ad logomachiam haec redire videntur; quea enim ſit natura horum delictorum improprietorū; num in legib⁹ haec fundata ſint, quos nam effectus illis tribuat legislator, non coimunicavit nobiscum ſcriptor alias acutiffimus, nec forte diſtinctas notiones horum ſibi ipſi formare poterat.

§. 5.

Rectius forte afferitur, hanc actionem, quea ad ordinariam aliquam referri nequit, e numero extraordinariarum obligationum cauſarum eſſe, ſeu, ut cum glossa loquar⁸⁾, eandem non eſſe ex maleſicio vel quaſi, vel ex contractu vel quaſi, *ſed dativam a lege* propter pauperiem. Lex enim procul dubio immediate hanc producit obligationem, quum nullum factum hominis demonstrari queat, ex qua, tanquam cauſa proxima illa oriatur, nec factum quadrupedis per ſe

A 3

ſuf.

8) ad L. I. pr. D. si quadrup. pauper. feciss.

sufficiat ad imponendam hanc domino obligationem⁹⁾). Principium hoc praestandae a domino resarcitionis damni, quod a quadrupede est datum, a iuris ratione abhorre putat Schoepferus¹⁰⁾ adserens: legislatorem romanum illud pro lubitu, et fere sine ratione recepisse. Sed iniquus censor huius iuris mihi videtur. Adoptarunt hoc Decemviri hoc principium a Graecis, qui praestantiam atque utilitatem illius iam dudum exploraverant, nec non amice in eo conspirarunt leges plurium gentium, prouti hoc supra iam notatum est. Tantum quo-

que

9) Consentient mecum Io. Ortw. Westenberg dispp. de caussis obligacionum diff. VII. cap. 2; et, quem honoris caussa nomino, Antecessor in hac Academia celeberrimus, Adolph. Diet. Weber in der systematischen Entwicklung der Lehre von der natürlichen Verbindlichkeit, und deren gerichtliche Wirkung. Erste Abtheil. §. 34. Die Verbindlichkeit, heist es daselbst, zur Vergütung des Schadens, welches ein unvernünftiges Thier angerichtet hat, oder mit den Gesetzen selbst zu reden, si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, verdient gleichfalls noch einige Betrachtung. Um die Meinung derjenigen, welche ein sogenanntes quasi delictum darinnen erwischt zu haben glauben, wollen wir uns ict nicht weiter bekümmern. — Wenige Juristen halten sie pro immediata, obgleich dies unstreitig das richtigste fundament ist, indem hier a) gar kein factum hominis, geschweige denn b) eine Handlung desjenigen, dem die Verbindlichkeit auferlegt worden, den nächsten Entstehungs-Grund abgibt. Und versteht es sich von selbst, daß nur freie Handlungen, oder die sich auf Freiheit beziehen, als facta obligatoria angesehen werden können: so kann die Handlung eines unvernünftigen Thieres unmöglich dahin gerechnet werden — — — sondern sie muß durchaus als eine unmittelbare angesehen werden.

10) l.c. cap. I. pag. 9.

que abest, ut illa a iuris ratione abhorreant, ut potius bene inter se cohaereant omnia. Sic enim Paulus in L. 10 de reg. jur. secundum naturam esse affirmat, commoda cuiusque rei eum sequi, quam sequuntur incommoda: et similiter Ulpianus afferit in L. 149 eod. ex qua persona quis lucrum capit, eius factum eundem praestare debere. Hisce ergo principiis consentaneum esse videbatur, a domino animали ferendum esse damnum, quod altero modo erat illatum. Quum enim dominus ex illo animali lucrum capiat, alter vero ex eodem sentiat damnum; reparatio autem damni longe sit favorabilior, quam lucri adquisitio, appareat, recte a domino quadrupedis postulari, ut damnum ab illa datum reparet, aut, si tanti ipsi non sit, eandem noxae dedit. ¹¹⁾)

§. 6.

Provide satis a legislatore casus sunt determinati, in quibus locum invenire possunt hae actiones de pauperie et de pastu, de quibus in praesentiarum nobis est fermo. Quantum enim in specie ad actionem de pauperie spectat, de qua primo loco agam, in eo omnes

con-

11) Westenberg I. c. §. 3. Schilterus exerc. 19. §. 1. originem obligacionis ad resarcendum hoc damnorum genus invenisse se putat in lege societatis humanae de tuenda aequalitate inter cives. Non, inquit, quod bestia ex facto suo civiliter obligari possit ut membrum societatis civilis; sic enim actio contra bestiam esset danda, quod $\alpha\tauοτοv$, sed quod quilibet civium tenetur ex lege societatis nec per se, nec perea, quae in sua habet potestate, sive sint homines, sive organa domestica animata quicquam damni dare singulis aut universis, et datum redintegrare, atque ad aequalitatem societati proportionatam reducere.

consentient, institui posse eandem ab illo, qui damnum passus est ab animali alterius, sive dominus sit rei deperditae aut deterioratae, sive eius interfit, damnum non esse datum L. 2. pr. D. si quadrup. pauper. feciss. Immo haec actio, quia non poenalis est, sed rei persecutoria, heredibus non denegatur. Rei partes hic sustinet omnis possessor quadrupedis pauperiem facientis, quatenus tempore factae citationis talis est, si vel maxime tempore damni dati alius fuerit animalis dominus vel possessor: in quadrupedibus etenim noxa caput sequitur L. 1. §. 12. D. eod. In eo ergo ratio quaerenda erit, cur actio contra heredes animalis qua talis locum non habeat, nisi forte lis iam a defuncto fuerit contestata. Patet exinde, actionem hanc omnino pro personali haberi, at simul obligationem ipsam ambulatoriam cum re esse, nec ita fixam, uti in ceteris personalibus ^{12).}

§. 7.

Intuitu damni a pecoribus illati id in primis in hac actione attendendum esse volunt leges, qua ratione illud sit datum. Supponunt enim illae, animal nocuisse contra naturam sui generis, si vel maxime secundum naturam singularem individui nocentis egerit. Expressè hinc cautum legimus pr. I. si quadrup. paup. feciss. ad noxalem actionem pertinere, si equus calcitrofus calce percusserit, aut bos cornu petere solitus petierit. In eo facile omnes consentient, nullum prorsus supereesse dubium, quin dominus damnum expiare debat, quod pecus intulit, quoties contra naturam suam singularem hoc dedit: attamen non minus in altero casu quoque fundata crit actio de pauperie, dummodo interno motu, non autem externo exercitata

12) Struvius syntagmate iuris civilis cum adnotat. Müller's exerc. 14.

§. 11. lit. B.

citata quadrupes egerit. Primarium scilicet ut et maxime necessarium est requisitum huius instituendae actionis, proprio et spontaneo motu pecorum alterum damnum passum esse, ideoque animal se ipsum principaliter commovisse, sive hoc per lasciviam, petulantiam, sive per pavorem, sive fervorem, sive feritatem, attamen in quolibet casu simul contra naturam sui generis factum sit, neutiquam autem per naturalem nocentis feritatem. Quodcunque ergo damnum dederit fera bestia secundum naturam sui generis, hic omnino non attendendum erit: naturale enim vitium non culpa est, sed ipsa natura. Ex quo sponte fluit, nullam exinde oriri actionem de pauperie. Unicam atque genuinam, prouti mihi videtur, huius diversitatis rationem cum *Thoma*¹³⁾ in eo ponendam esse puto, quod pauperies

13) I. c. cap. 3. num. 39. Provocat ad legem 52. §. 2. D. ad L. Aquil. dignam, quae hic inseratur: In clivo Capitolino duo plostra onusta mulae ducebant: prioris plostris muliones conversum plostrum sublevabant, quo facile mulae ducerent. Interim superius plostrum cessim ire coepit, et quum muliones, qui inter duo plostra fuerunt, e medio exissent, posterius plostrum a priore percussum retro redierat, et puerum cuiusdam obtriverat. Dominus pueri consulebat, cum quo agere oporteret? Respondi, in caussa ius esse positum. Nam si muliones, qui superius plostrum sustinuerint, sua sponte se subduxissent, et ideo factum esset, ut mulae plostrum retinere non possint, atque onere ipso retraherentur: cum domino mularum nullam esse actionem; cum hominibus, qui conversum plostrum sustinuerint, lege aquilia agi posse. Nam nihilominus damnum eum dare, qui, quod sustineret, sua voluntate mitteret, ut aliquem feriret, veluti, si quis asellum, quum agitasset, non

ries ad exemplum damni iniuria dati producat actionem, hinc necesse sit, ut in animali bruto aliqua culpae, sive delicti habeatur figura, seu ut factum bruti sit tale, quale, si ab homine esset perpetratum, culpam implicaret.

§. 8.

Huic spontaneae commotioni pecorum ex una parte opponitur concitatio eorum externa, ex altera autem ipsius animalis morbus, imbecillitas, infirmitas, cui cedere, et quasi invitum ita aliquem damno afficere debebat. Quod ad casum posteriorem spectat, nulla culpae figura in quadrupede cogitari potest, quae fatali quasi necessitatibus succumbebat. Hinc L. cit. 52. §. 2. expresse cautum legimus: si mulae onus retinere nequissent, aut, quum conniterentur, laplae concidissent, cum domino mularum actionem non esse. Ex improviso casu huiusmodi damna accidunt, quae ideo soli fato merito imputantur. In priore quem nominavi casu, externa quaedam caussa subest violenti motus animalis, quod certe non nocueret, nisi fuisset

retinuisse: aequo, si quis ex manu telum, aut aliud quid immisset, damnum iniuria daret. Sed si mulae, quia aliquid reformidassent, et muliones timore permoti, ne opprimerentur, plostrum reliquissent, cum hominibus actionem nullam esse, cum domino mularum esse. Quodsi neque mulae neque homines in causa essent, sed mulae retinere onus nequissent, aut, quum conniterentur, laplae concidissent, et ideo plostrum cessim redisset, atque hi, quo conversum fuisset, onus sustinere nequissent, neque cum domino mularum, neque cum hominibus esse actionem. Illud quidem certe, quoquo modo res se haberet, cum domino posteriorum mularum agi non posse, quoniam non sua sponte, sed percussae retro redissent.

concitatum. Quatuor potissimum modis hoc evenire solet. Mox aliud animal irritat illud, a quo damnum alicui infertur; mox ipse laesus sua sibi damnum conciliavit culpa; mox dominus quadrupedis simul sua culpa nocuit; mox denique in facto tertii cuiusdam extra-nei ratio quacerenda est damni illati. Primum tractat casum L. I. §. II. si quadr. paup. feciss. eumque ita decidit, ut tum demum cef- fare velit actionem de pauperie, si bestia irritata animali eam irritanti nocuerit, vel etiam illud occiderit. Inde inferunt, adesse tum ca- sum defensionis sui ipsius necessariae, ne quadrupedi quidem dene- gandae, quae conservationem suam et incolumentem obtinere possit cum ipsa internecione alterius, sive pecudis, sive hominis. In inverso autem casu, omnino huic actioni locum esse concedunt, dummodo de animali aggressore fatis constet, alias non quidem ius, sed probatio desiceret. Nec secundus casus difficultate quadam labo- rat; sibi soli imputare debet damnum ab animali ipsi datum, quod- que non concitatum certe non nocuisset, quare ad provocantem optimo iure applicatur vulgatum illud, damnum, quod quis sua culpa, qua- cunque illa sit, sentit, illum sentire non videri. In tertio, quem adduxi, casu, itidem quidem locum non invenit actio de pauperie; attamen nulla exinde in dominum quadrupedis redundat utili- tas, contra quem tunc feliciori successu actio ex lege Aquilia insti- tui poterit.

Restat discussio casus, ultimo loco a me nominati, si scilicet dolo vel culpa tertii cuiusdam, non domini pecoris, animal commovean- tur, atque ita aliquem damno afficiat. Qum ex hypothesi domino ipsi nil imputari queat, nec casus adsit, quo leges eum citra factum suum, imme- diate

diate obligatum esse velint, neque actio ex lege Aquilia, neque actio de pauperie contra eundem institui potest. Maneat ergo tertium tanquam auctorem delicti poena lege statuta, atque actione ex lege Aquilia contra illum experiri liceat. Praecipit enim lex 1. §. 6. D. si quadrup. pauper feciss.: *Si infigata alterius fera damnum dederit, cef-sabit haec actio.* Deest in hoc casu essentiale aliquod requisitum actionis de pauperie, nempe quadrupedem proprio suo motu et contra suam naturam damnum alteri intulisse; quid ergo magis legibus conveniens esse potest, quam dominum illius ab omni prorsus obligatione liberari? Accedit, hanc necessitatem ideo potissimum impositam esse domino, quia magis iniquum videbatur, tertium ex animali alterius damnum aliquod pati, quam dominum hoc nomine nullam indemnitatem praestare, cui tamen fructus et emolumenta ex animali provenientia adquiruntur. Quoties enim tertius quidam adest, qui ex facto suo obligatorio perfecte tenetur ad praestationem damni dati, merito dominus innocens absolvitur, seu, ut cum lege loquar, actio de pauperie cessat.

§. 10.

Praeterea autem interdum evenire solet, vitium proprium animalis concurrere cum culpa hominis, sive ipsius domini, sive tertii cuiusdam. Duplex tunc laeso concedenda est actio, altera quadruplicaria contra dominum, cuius animal nocuit proprio motu, et altera ex L. Aquilia descendens, vel alia quaecunque, contra illum, cuius intervenit dolus vel culpa. Quoties utraque haec contra unam eandemque personam, scilicet domini pecoris, competit, penes actionem

rem

rem erit electio, quamnam earum instituere maluerit.¹⁴⁾ Est equidem actio de pauperie noxalis, uti mox notabitur, attamen haud raro una plures adesse possunt rationes, quare laesus eandem praferre pinguiori non dubitat. Magis impedita esse videtur quaestio, num itidem eiusmodi electio dari queat laeso, concurrentibus simul ex una parte culpa alicuius extranci, et ex altera vitio proprio pecudis. Negandum hoc erit, ut puto, et dominus pecoris in tali casu ab omni actione liberandus. Suadet hoc ipsa ratio a legislatore supposita in actione de pauperie, quam supra fuppeditavi; immo clara lex, nisi totus fallor, idem corroborat. Sic enim legitur in I. 1. §. 5. Si quadrup. paup. fec. dicatur: *Sed et si tanis, cum duceretur ab aliquo, asperitate sua evaserit, et alicui damnum dederit, si contineri firmius ab alio poterit, vel per eum locum induci non debuit: haec actio cessabit, et tenebitur, qui canem tenebat.* Tertium nec infirmitas, nec imperitia, excusat, modo de culpa illius constet.

§. 11.

E diametro huic decisioni obstarere dicunt I. 7. §. 6. de dol. malo, quae praecipit: *Si quadrupes tua dolo alterius damnum mihi dederit: quaeritur, an de dolo habeam adversus eum actionem? Et placuit mihi, quod Labeo scribit, si dominus quadrupedis non sit solvendo, dari debere de dolo: quamvis, si noxae deditio sit secuta, non puto dandam, nec in id, quod excedit.* Mirifice in explicanda

B 3

illa

14) Electio hic has concurrere posse actiones, ex I. 2. §. 1. et I. 4. §. 2. et 5. D. de noxal. act. abunde patet; licet Hunnius ad Treutlerum de L. Aquilia, th. 2. lit. e. ex ratione parum adaequata dissentiat, hac nempe, quod actio L. Aquil. damnum iniuria datum persequatur, actio de pauperie vero damnum sine iniuria.

illa inter se dissentunt DD. Cum glossa plurimi veterum interpretum distinguunt, num committendo, an omittendo, dolus vel culpa tertii sese exserat, de posteriori casu legem solummodo loqui afferentes. Alii antinomiam iuris adesse contendunt, alii alias distinctiones adferunt.¹⁵⁾ Liceat mihi ea, quae hac de re sentiam, brevibus expōnere. Ante omnia casum ipsum, quem Labeo in hac lege proposuit et decidit, accurate determinare debemus. Monemus ergo primo loco, Ictum sine dubio hic supponere, a quadrupede quadam spontanea feritate sua atque contra suam naturam damnum aliquod esse illatum. Quodsi enim illa concitata demum ab altero fuisset, aut sua natura, non lascivia aut fervore, nocuisse, omnino non locum habere posset actio de pauperie, nec proposita quaesilio moveri. Dein hic supponitur, a tertio, de cuius dolo in lege sermo est, non ita concitatam esse quadrupedem, ut illa alias factura non fuisset damnum; alias etenim dominum bestiae prorsus non teneri, in aprico est. Prono alveo ex dictis fluit, legem illum supponere casum, quo tertius non committendo, sed saltim omittendo, dolose agit: quo ipso tamen neutiquam asserimus, quemvis concursum tertii dolosum ad damnum, quod quadrupes intulit, modo hoc in omittendo consistat, ita comparatum esse, ut actio L. Aquiliae pro non fundata sit habenda. Lubenter potius concedimus, culpam in omittendo se exserentem haud raro vindicari posse hac actione, si non directa, tamen utili.¹⁶⁾ Verum enim vero dantur

omni-

15) Thoma I. c. cap. 3. n. 120. seq.

16) Exempla plura a legislatore allata hoc commonstrant, de quibus vide Vinnium ad I. L. 4. T. 5. §. 2. Cocceji Iure Civ. controv. L. 9. T. 4. qu. 5. Bergerum in Resol. LL. obstant. L. 9. T. 2. qu. 3. qui huius generis culpam nominat culpam omissionis simplicem, h. e. ex qua damnum per se non venit.

omnino gradus culpae omissionis, qui ista lege non notantur. Exemplum ab aliis iam productum suppeditat L. 13. §. 2. de Usufr. et quemadm. Ibi Ulpianus ita: *Denique consultus, quo bonum fuit, actionem polliceri Praetorem, cum competit legis Aquiliae actio? respondit, quia sunt casus, quibus cessat Aquiliae actio: ideo iudicem dari, ut eius arbitratu utatur.* Nam qui agrum non proscindit, qui vites non subsexit, item aquarum ductus corrupti patitur, lege Aquilia non tenetur. Sine dubio idem hic ICtus huiusmodi casum sibi singebat, cum Labeonis effatum suum faceret, in supra cit. l. 7. §. 6. de dolo malo. Nec adeo difficile erit, tales casus sibi formare, prout hoc a quibusdam factum esse video. Sic Cujacius ad dictam legem hunc profert casum: *Si fraude tua incidero in equum calcitrosuni, et equus me calce percusslerit.* Nec non Bartolus *Saxo ferrato* ad dictam legem¹⁷⁾ uberior illustrat sequenti exemplo: Eramus tres Scholares, quorum erant duo, qui habebant duos equos inimicos. Ego eram in medio, sed dolo exivi de medio, ita quidem unus ex illis equis fregit crus alteri. Quaeritur, an detur laeso actio de dolo contra me? Respondeo, non; si potest habere locum haec actio, actio L. Aquiliae vel de pauperie non datur, alias autem contra me datur de dolo.

§. 12.

Ex haec tenus dictis, quantum ego quidem video, patet, supposuisse legislatorem in dicta lege 7. §. 6. de dol. mal. casum aliquem, in quo tertii cuiusdam dolo vel culpae aliquid imputandum est, veruni non tantum, quantum ad fundandam actionem Legis Aquiliae, vel directam, vel utilem, leges requirunt. Quibus suppositis, laeso-

17) ad Lib. 4. D. de dol. malo, p. m. 129, b. 3. I. n. 100 d' F. Bona.

per quadrupedem damnum proprio motu ipsi inferentem nulla alia actio sub hisce circumstantiis superest, quam quae contra dominum animalis nocentis danda erit. Notum enim est, quam quod notissimum, actionem de dolo tanquam subsidiariam, immo famosam, locum non invenire, quoties ex alia actione suum quis consequi potest, hinc eandem non solum civiles directae et utiles, sed et Praetoriae directae et utiles, excludunt, uti quoque ex l. 1. de dol. mal. l. 5. §. 2. et l. 15. D. de praescr. verb. abunde patet.¹⁸⁾ Cave autem putes, dolum tertii hoc modo impunitum manere; dominus enim quadrupedes, si quid, actione de pauperie conventus, praestiterit, omnino ad recuperandum id, quod dedit, contra hunc actionem movere potest. Ab hoc, quem modo tractavimus, casu longe diversus est aliis, vbi animal sola culpa alterius nocuit. Dominus pecoris tunc nullo modo et nullis sub circumstantiis, si vel maxime culpae reus ausfugierit, aut solvendo non existat, actione de pauperie tenetur.¹⁹⁾

§. 13.

Intuitu obligationis domino pecoris propter damnum a qualibet singulari et leviori occurreret causa, nisi cum maxima crudelitate.

18) Eleganter haec exposuit *Charonda* de verisimilibus Lib. 3. C. 7. apud *Ottonem* in Thesauro Jur. Rom. Tom. I. p. m. 780. seq.

19) Aliud tamen interdum iure particulari fancitum est. Sic enim Iure Saxonico prov. Lib. 3. art. 49. dispositum legitur: Welch Hund zu Felde geht, den soll man an Banden halten, durch daß er niemand schade. Thut er aber Schade, den soll der gelten, dem der Hund folget zu Felde, oder sein Herr, ob er selber, der ihn führet, des nicht gelten mag. Concordat alias locus huius iuris particularis Lib. 2. art. 40. obvius, quorum explicationem uberiorem legimus apud Thomam l. c. Cap. 3. n. 108. seqq.

drupede, absque tanien sua culpa, datum impositae constat inter omnes, principaliter illum teneri ad expiandum damnum omne, quod passus est actor. Quia autem iniuum esse iudicarunt leges, quadrupedem ultra sui corpus onerare dominum, arbitrio huius relictum est, num omne, quod datum est, damnum resarcire, an ditione noxae, seu animalis nocentis, se liberare, atque hac ratione litis aestimationem evitare velit. Deliberare secum potest, quo pretio redimere quasi quadrupedem, aut eandem derelinquere malit. Ex una parte nulla necessitas legalis adest, dominio animalis se abdicandi, quod ipsi forte est carissimum; et similiter ex altera parte ipsi integrum manet, ditione pecoris nocentis item evitare: quod quidem ultimum non in obligatione esse, sed in permissione, sive solutione, dicunt. Haec noxae datio ipsi in omni parte iudicii est permissa, nisi forte ob inficiationem huius beneficii electionis se indignum reddiderit. ²⁰⁾

§. 14.

- 20) Paullo aliter rem decidit Jus Prov. Saxon. quod expulsionem noxae statim fieri debere praecipit, postquam receivit dominus nocentis animalis, pauperiem esse factam, Lib. 2. art. 40: Nimmt der Herr das Thier nach der Zeit, als er es erfähret, daß es Schaden gethan, wieder an seine Gewähr, er soll den Schaden gelten nach seinem rechten Wehrgelde. Schlägt er es aber aus, und hauset, noch hoset es nicht, noch äzet, und träncket es nicht, so ist er unschuldig an den Schaden. Concordat cum hoc iure Jus Prov. Allem. Cap. 357. ex Edit. Dni König a Königsthal in Tom. 2. Corp. Jur. Alemannici, pag. 430. ibi: Lämet es einen man, und schlecht es yener von ihm und hauset es noch hoset es, noch eczet es, noch trencket es astermals

§. 14.

Moveri solet hac occasione quaestio: num tolerari queat petitum alternativum libelli? Alii sustineri volunt libellum alternative formatum; ali contra defendunt simplicem petitionem restituendi damni. Utriusque sententiae olim acerrimi defensores exsifterunt, quorum argumenta erga se invicem prolati hic recensere a proposito meo alienum foret. Magis mihi tamen aridet eorum opinio, qui non, nisi solam damni restitutionem ab auctore petendam esse negant. Pertinet enim ad substantiam et naturam actionis huius noxalis deditio noxae, quod ergo in petito libelli merito erit exprimendum. Praeterea L. L. XII. tab. expresse praescriperunt, aut dari, quod nocuit, aut aeflationem noxae offerri, per L. 1. D. Si quadr. paup. fecisse. Immo ex L. 4. §. 3. D. de noxal. auct. discimus, libellum alternative conceptum hoc casu magnam utilitatem afferre posse. Denique haec omnia magis adhuc confirmari videntur per L. 1. pr. D. de his, qui eff. vel dej. ²¹⁾)

§. 15.

unnd darnach es den schaden geshet es hat kein geltnuß davon. Unnd wundet er ein man, so ist daselb gericht. Und der dem der schaden geschicht, will er, er mag es gelten. Und thut ein vich ein schaden, den sol er gelten des es do ist. ob er sich sein unterwindet nach dem schaden. Will er es lassen varen das thut er wol und giltet sein nicht, so hat es yener für seinen schaden.

- 21) Cum pluribus aliis ita et *Müllerus* sentit ad Struv. Exerc. 14. ad L. 9. T. 1. §. 7. lit. γ) Propterea datur domino animalis electio, vel solvendi interesse, vel animal noxae dedendi, quod iniquum sit, nequitiam sive lasciviam horum animalium domino ultra corpora ipsorum damnosam esse. Vel uti putat Oldendorp Quaest. 8. pos.

§. 15.

Haec sufficient de actione de pauperie. Sequuntur quaedam ad actionem de pastu pertinentia, breviter tamen exponenda. Posterior haec actio jam olim in L. XII. tab. distincta fuisse videtur ab actione de pauperie; quamvis ex fragmentis, quae hoc titulo circumferuntur, vix certi quid definiri possit, et locus Pauli supra in §. 2. citatus forte sit unicus, ex quo, quid Decemviri hac de re statuerint, discere possumus. Utriusque autem actionis in omnibus fere eadem est natura, et primaria, si non unica, quae inter easdem intercedit differentia in eo consistit, quod in actione de pauperie supponatur animal alteri damnum inferens contra naturam sui generis; contra vero in actione de pastu damnum detur a quadrupede secundum suam naturam, capessendo naturales pastus. Supponitur hic, in fundo alieno pecora nocuisse, absumtione graminum, frumenti, vel aliarum plantarum, ex terra provenientium, denique illa sua sponte ingressa esse²²⁾ Contra dominum pecoris, vel alium, cuius culpa vel immittendo pecus, aut alio modo, concurrit, datur actio L. Aquiliae,

C 2 quae

pos. 1, quia lex hoc solum respexit, quod animalia nostra plerumque contra naturae mansuetudinem per lasciviam aliudve vitium ad feritatem commoveantur, et damnum dent, quod provideri non potuit, quorum nomine nos ultra, quam noxaliter, teneri, sane iniquum esset.

22) Non absque ratione Hellfeld in Iurispr. forensi, §. 695, dicit: Utulis tamen de pauperie actio ob damnum a bipite datum competebat, et propter damnum secundum naturam generis datum de pastu aut in factum agendum erat. Hae tamen actiones in effectu ab actione de pauperie non differunt.

quaeratione effectus longe differt a priori, quippe quae noxalis est.²³⁾

§. 16.

Noxalem hanc nominavi actionem de pastu, quoniam hic quoque, uti in actione de pauperie, dominus alternative obligatur, id quod ex l. 14. §. ult. de praescr. verb. et clarius adhuc ex verbis ICTi Pauli supra allatis patet. Nec facile quis negaverit, hoc Jure Romano ita constitutum esse. Sunt vero plures, qui usum omnium actionum noxalium hodiernum in dubium vocarunt, et a foris nostris haec aliena esse contenderunt. Nec me dissentientem habebunt, qui actionum noxalium hodie nullum usum esse asserunt, quatenus illis unice de noxae ditione servorum et filiorum familias sermo est. Ast eorum castra sequi non possum, qui cum Vinnio²⁴⁾ et pluribus aliis ICTis sibi aliquis persuadere cupiunt, neque in actionibus de pauperie et de

pastu

²³⁾ Vult quidem Thoma I. c. Cap. 16. n. 61. actionem de pastu tunc quoque locum invenire, si pecus depaverit immissum, et perinde esse, si vel maxime pastus culpam implicet domini, provocans ad arg. ex l. 14. §. fin. de praescr. verb. desumptum, ubi ratio denegatae de pastu actionis haec redditur, quia *non in tuo pascitur*. Colligit exinde, competituram fuisse illam actionem, si in tuo depavissent pecora, licet immissa. Attamen, me iudice, vix ac ne vix quidem asserti poterit, ICTum in allegata lege omnia recensere voluisse requisita ad fundandam actionem de pastu necessaria, quin potius pro scopo suo sufficiebat, unicam se attulisse rationem, quae omnino istam actionem impeditabat.

²⁴⁾ ad Inst. Lib. 4. T. 9. ibique alleg. *Wesenbechius*. Dubius quodammodo hic haeret. *Huberus* in praelect. Iur. Rom. P. 2. p. m. 325. quamvis autem, ait, alternativam agendi rationem, vt vel quadrupes noxae dedatur, vel damnum praestetur, his diebus obsoletum esse plerique referunt; in Frisia tamen hac parte Jus civile servatur.

pastu hodie noxae deditioem usurpari, sed damnum datum ubique aestimandum esse arbitrio judicis. Recepto enim Jure Romano per Germaniam in toto suo complexu, nulla admittenda erit exceptio in hoc vel illo casu locum inveniens, nisi quatenus doceri potest, hanc vel illam materiam prorsus a moribus et institutis nostris alienam esse, ideoque nec tolerari posse. Amice autem in casu obvio conspirant LL. Romanae et Germanorum veterum instituta, licet in accidentibus interdum aliqua inveniatur differentia.²⁵⁾ Multo minus abrogata haec deinceps esse, comprobari poterit. Hinc fortissima prae sumptio militat pro valore hodierno Juris Romani, quatenus contraria in Jure quodam particulari forte constitutum esse doceri nequit.²⁶⁾

C 3

§. 17.

- 25) Probant haec, quae supra ex Jure Saxonico et Allemannico attuli, et quae Schilterus, loco ad §. 2. cit., ex legibus plurium gentium Germaniae docuit.
- [26) Intuitu actionis de pauperie usum et applicationem Juris Romani in foris Germaniae strenue mecum defendit Stryk in Usu mod. h. t. §. 4. Sed ut, inquit, ad pauperiem bestiarum redeam, non dubito, huius actionis usum contra dominum bestiae etiam in iudiciis nostris esse, quum eadem supersit aequitatis ratio, ut, qui commodum ex bestia captat, etiam incommodum ex reparatione damni sustineat. Unde, si damnum gravius sit, quam bestiae nocentis aestimatio, non deneganda domino est electio, an damnum reparare velit laeso, an animal, quod nocuit, noxae malit dare, quum corpus animalis ultra sui pretium domino damnosum esse non debat, arg. §. 2. J. de noxal. act. et ita contra morem suum noxae deditioem in foro defendit Groenwegen de Legibus abrogatis ad pr. 1. h. t. n. 5. Grotius Introd. ad Justinianum Lib. 3. P. 38. n. 13. Eadem testatur Voetius in Comm. ad D. h. t. §. 8. in fine: Manente, dicit,

§. 17.

Hactenus dicta ad utramque actionem, tam de pauperie, quam de pastu, aequali iure applicari possunt, neque doceri potest, in quo consistat diversa natura actionis posterioris, propter quam noxae detrimentio hodie intuitu illius exulare debeat.²⁶⁾ Contrarium tamen amplexus est sententiam *Strykius*,²⁷⁾ qui pro tuenda sua singulari opinione ad notissimam illam differentiam horum actionum provocat, quod nempe obiectum actionis de pauperie sit damnum ab animali contra naturam sui generis illatum in actione vero de pastu supponatur, damnum secundum suam naturam datum esse a bestia. Sed nescio fane, quo iure exinde concludi possit, priorem quidem, at non posteriorem actionem esse noxalem. Legibus hoc neutquam probatur, immo ipse Strykius sibi quodammodo contrarius est, dum l. c. in fine addit: hoc certum est, si nulla ostendi possit culpa domini bestiae depascentis, non ex L. Aquilia, sed tantum de pastu agi posse. Optime illum refutat *Leyserus*²⁸⁾ dicens: sed causam non videmus,

quam-
dicit, in reliquis apud nos intaeta Juris Romani definitione, etiam quantum ad ipsam noxae dandi licentiam, et subsequentem inde liberationem.

26) Müllerus ad Struv. l. c. th. 3. lit. δ: Condemnatur dominus, ut in actione de pauperie, alternative, ut aut damnum restituat, aut noxam dedat. Voet. l. c. §. 3: plane privato includere stabulo, aut alia, quam dictum, ratione privatim retinere pecora ob pastum, nec hodie permisum est: ac remansere in reliquis etiamnum hodie, quae iure Romano de pastu cauta sunt.

27) l. c. §. XI.

28) Spec. CXI. med. 13. Idem sentit Schoepferus Diff. de pignorationibus Cap. I. th. XI. pag. 18: Quid vero dicendum, si nulla interve-

niat

quamobrem Strykius hoc discrimen inter utramque actionem faciat, negetque, in actione de pastu noxae deditioem locum habere. Nam quae ratio legumlatores ad noxales actiones dandas impulit, ne scilicet res nostra nobis ultra aestimationem suam dannosa sit, §. 2. J. de noxal. act. I. 7. §. 1. de damno infect. eadem ad actionem de pastu quoque pertinet. Icti veteres hoc discrimen non agnoverunt. Lubens hoc quidem concesserim, rarius evenire casum, ubi ille, contra quem actio de pastu instituitur, ad noxae deditioem provocat, quia plerumque animal nocens in maiori pretio habetur, quam damnum ab illo datum aestimatur: attamen interdum tale quid omnino accidere posse, negandum non est, et exemplo a Schoepfero I. c. allato, quod ex glossa desumitur, comprobatur.

§. 18.

Evidetum est supra, actionem de pauperie cessare, si tertio alieni cui damnum imputari possit, quod quadrupes dedit, id quod ex pauperitate rationum etiam in actione de pastu obtinebit. Sunt tamen, qui exceptionem ab hac regula formare cupiunt, quoties tertius damnum sua culpa dans non sit solvendo, vel copia eiusdem omnino non haberi queat. Persuasum enim sibi habent, in tali casu Domini

num

niat culpa, an tum pignoratio moribus nostris licita? quaeritur; Respondetur, si supponimus, quod eiusmodi damnum nihilosecius restitui debeat, Richter P.I. D.V. h. 30. et quod Constitutiones non distinguant, sed generaliter loquantur, omnino pignorari potest. Interim tamen noxae deditioem hic liberare, tam diu verum est, quam diu I. I. D. si quadrup. abrogata non est. Hinc male egit D. Medicus quidam, quod deditione galli gallinacei, des Hauss-Hahnen, qui fuit Icti, et herbam Indiae pretiosissimam corrupit, contentus esse noluerit, nisi domini culpam probare potuit.

num pecoris non quidem principaliter, attamen subsidiarie, teneri ad satisfactionem laeso praefandam. Rationes, quas subducunt, partim ab aequitate et a principio supra stabilito, dominum indemnum praestare laesos magis acquum videri, quam eum, qui passus est damnum, pretium eorum, quae amisit, non recuperare, desumuntur. Partim in eo se fundant, quod putant, dominum hoc ipso in culpa esse constitutum, quod custodem vel pastorem elegerit nequam. Porro ad Jus Saxon. se referunt, secundum quod dominus pecoris in causa pastus non tantum ad refusione damni culpa custodis illati tenetur, sed praeterea quoque emendam domino praedii de pasti solvere debet.²⁹⁾ Addunt denique, per contrariam dispositionem commodam dari rusticis occasionem, sub praetextu, damnum ab animalibus accidente culpa custodum vel opilionis esse datum, quippe qui plerumque non sunt solvendo, licite invadendi ac impune depraedandi agros aliorum.

S. 19.

Verum enim vero rationes allatae me movere non possunt ad imponendam domino pecoris obligationem quandam, a qua illum leges expresse liberarunt. In illis nulla obvia est distinctio, nec ad statum insolventiae respicitur, sed tertius, qui pecora immisit, vel instigavit, indistincte ad satisfactionem condemnatur, prout idem in

omni

29) Lib. III. art. 49. ibi: welch Hund zu Felde geht, den soll man an Banden halten, durch daß er niemand schade. Thut er aber Schade, den soll der gelten, dem der Hund folget zu Felde, oder sein Herr, ob er selber, der ihn führet, des nicht gelten mag. Concordat idem Jus Lib. II. art. 40. welchen Schaden eines Mannes Pferd oder Vieh thut in seines Knechtes oder Gesindes Hutt, der soll dafür antworten, in des Hutt es was.

omni genere obligationum obtainere solet. In casu praesenti hoc eo
magis intuitu tertii, qui culpa sua ita nocuit, obtainere debet, quo
certius est, contra dominum animalis, cui ex hypothesi nihil hoc
nomine imputandum est, et curus quadrupes non proprio et sponta-
neo motu damnum dedit, nullam proditam esse actionem. Dolen-
dum quidem erit interdum, licet rarissime, hoc accidere posse, ut
actio laesi contra tertium inanis fiat, et exceptione sic dicta impe-
ratoria elidatur; at tale quid, quod in aliis etiam causarum generi-
bus haud raro accidere solet, in censum venire non potest, nec
propterea tertius, qui prorsus est innocens, nullaque lege ad praef-
standum aliquid obligatur, actione quadam onerari debet. Haec
ergo praetensa aequitas merito cerebrina audit, atque in iniustiam
degeneraret. ³⁰⁾ Non quidem ignoro, asseruisse aliquos, in casu
damni iniuria et negligentia opilionis dati, non opilionem, sed com-
munitatem solam condemnandum esse, ut aut damnum resarciat, aut

noxiae

30) Audiamus Schoepferum l.c. Cap. 2. th. 14. pag. 28. ita differentem:
Prius pignoretur ille, cuius ex bonis res est, modo hic propria
voluntate sine praescitu domini, a quo rem habet, turbaverit.
Richter Decis. nr. 22: Is, qui immisit bestiam sine praescitu domini,
non dominus bestiae, conveniri potest. Sic etiam Thomas: nam
si alius, inquit, dicto Tractatu Cap. 16. n. 71., forte custos seu
opilio, fuerit in culpa, alius dominus sit pecoris, ille solus tene-
bitur, existente domino seculo. Itaque si v. G. Titius commoda-
tarius vel conductor equo segeti damnum intulerit, forte inequi-
tando, et propterea caballus pignoretur, sane solo commodatario
vel conductori pignorabitur, non domino, per l. 5. §. 2. add. l. 1.
§. 5. Si quadrup.

D

noxiae dedat. Sed inepta est, quam addunt rationem, communia-
tem tacite ratum hoc habuisse, licet non iusserit. Ex solo enim silen-
tio communis ad eius ratificationem concludi non potest. Magis
adhuc a ratione alienum est, quod a glossatore Saxonico defendi-
tur,³¹⁾ pastorem, quo absente pecus in fundo damnum dedit, ab
omni poena absolvendum, et actorem ad dominos pecorum remit-
tendum esse, addito hoc a ratione prorsus alieno argumento; wenn
er es aber nicht gegenwärtig hütet, so ist es auch sein nicht mehr, denn
sobald er nicht thut nach seinem Amt, so trägt er auch billig denselben
Nahmen nicht mehr, quasi is, qui officio suo non satisfacit, ob
neglectum hoc suum officium non debeat conveniri aut puniri.

§. 20.

Potest quidem interdum accidere, id quod negare non audeo,
domino pecorum hoc nomine aliquid vitio vertendum esse, hinc il-
lum casum existere, quo pastus domini culpam implicat. Sunt
omnino rustici, qui in eligendis famulis atque ancillis suis admodum
sunt negligentes, immo sunt, qui sciunt, nec prohibent, cum pos-
sent, famulos delinquere. His omnibus omnino aliquid imputandum
esse, immo eosdem non immerito ad integrum litis aestimationem,
perinde ac si iussissent, obligatos esse, facile largior. Denique nec
desunt quidam e numero horum hominum, quibus pergratum est,
sua pecora aliorum pratis vel agris immitti, et facile haec omnia in-
dulgent illis, quorum servitio utuntur. Sed quid inde? Luant hi
poenam negligentiae atque nequitiae suae. Nobis de alio longe di-
verso casu res est, ubi scilicet inscio et invito domino tale quid com-
missum est, vel a tertio extraneo quodam, vel ab illo, qui in famu-
litio

31) in glossa ad Lib. II. art. 47.

litio est domini. Paterfamilias, qui in eligendis servis atque ancillis suis nullam culpam commisit, neque tales negotiis suis adhibuit, quos scivit, vel scire potuit, perditū ingenii homines esse, merito liberandus erit ab omni damnorum restituzione. Quis enim, ita optimo iure monet Strykius ³²⁾ domino imputaret, si servum ad arandum misisset, et ille hac occasione cum vicino in rixam incidat, et hunc vulneret. Si enim vulneratus conveniat dominum, ultra mercedem residuam, sine dubio obstat exceptio non competentis actionis, cum factum alterius alteri nocere non debeat, L. 27. §. 4. de pactis, l. 155. de R. J. Nec enim alio iure aestimari poterit servus certo officio destinatus, quam institutor, qui durante institura si peccet, praeponentem obligare nequit, cum nec contrahendo id posset, si praepositionis legem excedat. L. 5. §. 11. de instit. act. l. 1. §. 12. de exerc. act.

§. 21.

Quod denique ad Ius Saxonicum mihi obmotum spectat, dum iam inter omnes conclamatum est, extra Saxoniam eius applicationem et usum hodie cessare, nisi alicubi expressa eius receptio doceri possit. Porro non adeo magna et frequentiora incommoda

D 2

ex

32) in V. M. Lib. IX. Tit. IV. §. V. Brunnemann ad L. 4. D. de noxal. act. n. 1. Leyser Spec. XLVII. et CXIII. med. 1. qui, patremfamilias ex delicto famuli in expeditione negotii dominici commisso non obligari, gravioribus rationibus evincit. Convenire enim hoc probatum naturali rationi, quod delictum alienum innocentis, et si is delicto illi, sine dolo tamen et culpa sua, occasionem dederit, non imputat, quam Iuri Romano per L. II. de peric. et comm. rei vend. et L. II. §. 2. de publicanis.

ex hac dispositione legali metuenda esse puto. Contra dominum pecoris in illo, quem tractamus casu, praesumtio omnino militat, pecora sua in aliorum prata vel agris absque ulla sua culpa esse immissa, et nihil omnino hoc nomine ipsi vitio dari posse. Hanc ipsi contrariam praesumptionem ergo elidere, et quorum culpa, se prorsus inscio ac invito, devastatio facta sit, docere debet. Quodsi forte ipsi impossibile foret, tamen sola provocatione ad suam innocentiam non iuvabitur.³³⁾ Pariter si, qui in famulitio rusticorum hominum sunt, culpam a dominis ipsorum commissam ultiro in se fuscipere non parati erunt, quum sciant, in corpore luendum esse ipsis, quod non habent in aere. Ne dicam, talia scelera non esse praesumienda, ex quibus praeterea lucrum vel minimum, vel nullum potius, sperari possit. Existente forte casu, non detegendos esse illos, per quos damnum datum est, hic quoque applicamus, non ius deficere, sed probationem.³⁴⁾ Sed obtinente iam ubique per Germaniam


33) Partim enim casus hic longe frequentior est altero, partim ea hic applicanda sunt, quae Thoma monet, l. c. Cap. 16. n. 70. probato damno, per depositionem, eo ipso culpa probata videtur, quod praesumptive procedere puto, ut audiatur reus, si culpa se velit extornare, arg. L. 1. C. ad L. Cornel. de sicariis, et L. 5. de iniur.

34) *Strykius* l. c. L. IX. T. 2, §. 14. optime rem explicat, dicens: Quamvis vix dabilis sit casus, ubi non per vestigia pecoris ostendi possit, unde venerint, vel quorsum se receperint. Quod si ager in medio situs, et utrinque pastores degant, salutare statutum est, ut damnum ab utroque pendatur ex aequo. Licet enim forte ab uno tantum commissum sit, nec alter alterius facto gravandus, l. i. C. Ut nullus ex vicin. attamen proderit ad hoc, ut alter alterum observet, et hinc metu reciproco quisque sibi caveat a vicino.

maniam vi universalis consuetudinis pignoratione pecorum, rarissime existere potest casus, quo de auctore delicti non constet, sicuti etiam facta pignoratione pecorum in agris alienis pascentium, statim dominus eorum detegi potest, contra quem omnis militat praesumtio, donec contrarium quam luculentissime probavit. Laetus erga primum ad illum se confert, restitutionem damni illati ab eodem exigens: id quod etiam innuit lex provincialis Mecklenburgica³⁵⁾ verbis: zu welchem Pfandgelde derjenige, dessen Viehe den Schaden gehabt hat, sich unweigerlich verstehen, und dasselbe ausgeben soll. Ulterius enim sensum horum verborum extendere, prohibent regulae interpretationis, quae praecipiunt, huiusmodi speciales Leges ita esse explicandas, ut quam minimum derogent iuri communi. Confirmantur dicta verbis huius legis mox subsequentibus: und da er meinte, daß ihm mit der Pfändung unrecht und zuviel geschehen, so mag er es dasselbe sein habendes ius deswegen ordentlich und förmlich zu deduciren und auszuführen, sich protestando reserviren und vorbehalten, worauf ihm ohne Verzug schleunigen Rechtems verholfen werden soll.

Plura quidem restabant examinanda, et praesertim de pignorationibus subiicienda. Sed tempori parcendum est; hinc ulteriora alio tempore addere et supplere mihi reservo.

35) Vid. die Mecklenb. Land- und Hofgerichts-Ordnung, Part. 2. Tit. 41.





13

Carboniana, quae datur impuberi, cui questio de statimovetur. Qui ne minus idonee defendatur, discussio-
n pubertatis tempus differri praescriptum est, ipse au-
nem haereditatis mittendus. (L. 1. pr. et §. ult. D.
Cautionem tamen praeslet necesse est de restituenda haer-
itate adepta contra se iudicatum fuerit. Si vero non
possessionem mittitur adversarius eius (L. 2. §. 5.

referenda est boni poss. curatori furiosi data. Qua-
r, vt, quum furiosus haereditatem sibi adquirere ne-
nem et administrationem curator adipiscatur. Vi tali
dominum caret, si furiosus in furore decesserit, vel
piens eam non ratihabuerit.

§. 10.

Vsus bonorum possessionis hodiernus.

dem iurisconsulti, imprimis antiquiores, bonorum
denegandum consuerunt usum *) aet melior vi-
ni esse opinio. Nusquam enim per ius novius in-
probata, potius expresse confirmatam invenimus.
(p. L. 4. C. de liber. praet.). Hinc de plenissima
us, de quibus hocce nil disponit, applicatione dubi-
esse videtur. Licet autem per Nov. 115. et 118.
essione in novam redacta sit formam, hinc tamen col-
lis bonorum possessionis non amplius indigere, quum
raro haud raro occurrentia supersint, quae istae silentio
sec inutilis est habenda, quum variae pree iure civil-
ia, v. g., respectu temporis praescriptionis. Quae
B 3 quum
omnium sit Vinnius ad §. ult. J. per qu. perf. cuiq.

Scan Reference Chart T263 Serial No. 0111